



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

CVII. Bischof Johann von Camin bestätigt eine Verschreibung des  
Markgrafen Ludwig für einen Altar der Jakobikirche in Prenzlau, am 20.  
Dezember 1353.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CVII. Bischof Johann von Camin bestätigt eine Verschreibung des Markgrafen Ludwig für einen Altar der Jakobikirche in Prenzlau, am 20. Dezember 1353.

In nomine Domini amen. Johannes, dei gracia Episcopus Ecclesie Caminensis, ad perpetuam rei memoriam. Cura pastoralis officij nobis commissi, mentem nostram sollicitat, ut ubi fidelium deuotionem circa augmentum cultus diuini versari conspicimus, sollicitè caueamus, Ne quod pijs deputatum vsibus redeat ad prophanos, Quod tunc recte facere credimus, cum ea, que nostre confirmationis ordinariè indigent munimine, per literas nostras autenticas stabilimus. Sane vidimus et audiuimus literas Illustris Principis Domini Ludewici, Brandenburgensis et Lusacie Marchionis, super donatione proprietatis quorundam annuorum reddituum, cum quibus altare in Ecclesia Parochiali Sancti Jacobi Apostoli Ciuitatis Prinzwaw perpetuum est dotatum, confectas non uiciatas, non abolitas, neque ralas, sed omni prorsus suspicionis uicio carentes, quarum tenor sequitur in hæc uerba: Nouerint uniuersi presentium tenorem inspecturi, quod Nos Ludewicus, Dei gracia brandeborgensis et Lusacie Marchio, Comes Palatinus etc. (Hier ist das oben unter No. LXXXIX. abgedruckte Document vom 2. August 1339 eingerückt.) Nos uero honorabilis uiri Hinrici de Wildbergh, presbiteri, altaris dicti altaris, nostri capplani et familiaris, nobis humiliter supplicantis, ut donacionem proprietatis reddituum predictorum ac fundacionem et donacionem altaris memorati confirmare dignaremur precibus ipsius condignis inclinati, prescripte proprietatis donacionem, imo dicti altaris fundacionem et donacionem ac iuris patronatus eiusdem ordinacionem gratas et ratas habemus, eaque omnia auctoritate nostra ordinaria una cum iuribus dicto altaris et suis successoribus incumbentibus prout superius est expressum, in nomine Domini in hijs scriptis confirmamus, inhibentes et interdicentes sub pena anathematis et maledictionis eterne, ne potestas secularis seu quis alius cuiuscunque eminencie, status vel condicionis fuerit se de predictis redditibus, quas memorato altari presentibus applicamus, aliquatenus intrumittat, Sed eis altaristam, qui ad ipsum altare pro tempore canonice fuerit institutus integre et libere, frui et uti permittant, Sicuti omnipotentis Dei et nostram vitare uoluerint uicionem. Datum et actum Camin, anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. Quinquagesimo tercio, in uigilia beati thome apostoli. Presentibus Honorabilibus uiris et Discretis Dominis Conrado, Scolastico, Bertrammo de Ekstedde, Archidiacono Stolpenfi in Ecclesia Caminensi, Francisco, Decano Colbergenfi, Hinrico Ofenbrukge, Scolastico Stetinensi, ac Bernardo Winekop, presbiteris, ac pluribus alijs fidedignis, ad premissa uocatis specialiter et rogatis. In cuius rei euidentiam pleniorum nostrum sigillum maius presentibus est appensum.

Nach Beckmann's Abschrift des Originals.